

V c
4512



h.



h. 34^a, 27.

14.

V c
4512

GÜNTHERI à BÜNAU
Equitis Misnici

DE IIS,

QUI FACERE POSSINT
inducias:

ORATIO

Habita Wittenbergæ
in aroaterio publico

*ad d. XX. Septembris, anno recuperata
gratia*

MDCLXVI.



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.
ANNO M. DC. XLVI.

Handwritten notes and signatures in the bottom right corner, including dates like 9/15/17 and 6/18/17.



Generosis, Magnificis, ac Summis

V I R I S

DN. RUDOLPHO à DISCAU
Sereniss. Electoris Saxonici

Consiliario, Aulæq; Principis
Præfecto, &c.

Nec non

DN. HEINRICO à BÜNAU
in Wefenstein, Patrono, & Patri

optimè de se meritis, & sanctè semper
suspiciendis,





Non spero, futuros temerè, Generosi
Domini, qui, cum istas de Induciis à
ne conscriptas pagellas legent, nota-
re conatus nostros ac vituperare a-
sperius velint. Nam & servendum tem-
pori, & si auditorum animos conciliare tibi
postules, istiusmodi argumenti genus deligen-
dum maximè est, quod à seculo tuo non nimis
abhorreat. Quare, quoniã complures jam an-
nos est, cum fedissimo difficilimoq; implicitos
bello nos adhuc oportet cõflictari; non alii ma-
gis celebrari sermones potuerunt, quàm qui
de pace & bello instituerentur. Isto quidem,
ut execretur, quod eo perimus hætenus; illa
verò, ut expetatur; quippe qua sola nos potest
servare. Nunc cum, DEI immortalis pro-
pitiantæ Numine, non ita pridem, inter Sere-
nissimum Electorem Saxonie, Patrem Patriæ,
ac Dominum nostrum clementissimum, &
Sveciæ Reginam, induciæ, quibus bellum non
componitur quidem, ad componendum tamen
via quedam sternitur quasi atq; paratur, se-
cundis, ut spes est, auspiciis, coaluerint; ecquis

AU
ciAU
atri

bonus & amans patriæ civis in publica lætitiâ
tacebit? Quis non, cùm res feret, de iis habe-
bit sermones? Etenim, sicut inter armorum
creperos strepitus nihil admodum nobis reli-
ctum est, nisi aut silentium, quo ab adversa-
rijs illatas calamitates patienter feramus;
aut quidam atratus luctus, quo bona nostra
amissa acerbius deploremus; aut, quod vide-
tur homini convenientius, seria cogitatio,
tùm quibus rebus accersita bellorum supplicia
sint, tùm verò, qua ratione deprecari iterum
atq; impositum cervicibus onus rejicere ali-
quando valeamus: Ita, postquam spes bona
fulgere cœpit, diductos exacerbatosq; invi-
cem animos, factis inducijs, coituros facilius
& conspiraturos amicis, rectè, opinor, faci-
et, ac pro officio, quisquis in lætiori argumen-
to, quod sese ultrò offert, ac publicum quasi
est, curas animumq; occupare contenderit;
non solum, ut, quod solenni sacramento initum
confirmatumq; est, à summo principe licitè
fieri potuisse ostendat ac doceat, sed etiam, ut
DEO Optimo Maximo gratias agat immor-
tales

tales, quod provinciis concussis penitus ac fe-
rè exanimatis quasdam armorum ferias ac
quietem concedere dignatus fuerit, ut respi-
rare nonnihil, atq; ex tot acceptis cladibus re-
ficere sese ac recreare possint: tum verò, ut pri-
mum Numen suppliciter exoret, pacem soli-
dam, bonorum omnium excellentissimum,
quo tot jam annos carendum fuit, populo suo
redonare clementer velit. Atq; istud qui-
dem, ut benignum Numen, & qui ejus in his
terrīs vicem gerunt, Principes ac Magistra-
tus summos pro conciliatis induciis celebrem,
non ignoro, in etatem meam potius conveni-
re, quàm ut de publico perplexoq; argumen-
to, & quod virorum, qui familiam in eru-
diis ducunt, maturam prudentiam atq; ac-
curatum judicium omninò desiderat, verba
facere instituam juvenis, atq; adeò in negotiis
civilibus nihil exercitatus. Veruntamen
cùm periclitandum exercendumq; ingenium
fuerit, quis nobis crimini dederit, quod ejus
commatis materiam sumimus, quæ & in po-
sterum prodesse? Nam aut de facie in orbe

Luna aut maculis, vel etiam de Aristotelis
entelechia, aut atomis Epicuri, sive Democri-
ti potius dicere, etsi id ipsum præclarum ha-
beam ac pu'licè utile, ad eum tamen magis,
qui olim præceptor in Schola sit, quàm qui
negotiis civilibus, ac Reipublica sese paret,
pertinere existimo. Neq; verò, si in vos
respicio, Nobilissimi atq; Generosi Domini,
quibus pietatem meam atq; industriam in-
primis probatam cupio, alia conscribi à me
oratio debuit, quàm civilem prudentiam quæ
attingeret maximè, & tempori nostro qua-
draret. Nam sicut disciplina & usu, tra-
ctationeq; maximorum negotiorum eò profe-
cistis, ut nihil quicquam vos lateat, ex quo
civilis prudentia absolvi possit; ita earum
rerum lectione, præcipuè si non nimis vetusta-
tem sapiant, haud indelectari animos vestros
facilè intelligebam. Quare satis prospectum
instituto huic nostro putabo, si vobis, & pau-
cis alijs, quos juxta vos colere debeo, ac vene-
rari, non displicuero planè. Quod fore con-
fido, si ætati meæ, & immaturo judicio huma-
nitas

nitatis vestra, & insignis erga me amor, in quo
omne presidium positum habeo, succurret
comiter ac benignè patrociniabitur. Id si, quod
perquam reverenter ac studiosissime à vobis
peto & quaeso, facere animum induxeritis,
cum vos ad decurrendum istud, quod sumus
ingressi, Musarum stadium strenuè addideri-
tis calcare, tum ego omni deinceps ope con-
sedulò, ut vestra me benignitate dignum sem-
per dictisq; maximè audientem, quantum
potest, præstem atq; exhibeam. Quòd super-
est, æternum Numen veneror, ut maximas
nobilissimasq; dotes ac virtutes tuas, Generoso
se ac Magnifice Dn. Rudolphe à Discau,
quibus familiam tuam præter cæteros illu-
strem fecisti, conservet & augeat, te semper
incolumi, ac recta consilia, atq; his rursus fe-
lices successus aspiret. Tibi verò, Veneran-
de Domine Parens, paterni animi tui testi-
monia, quæ in nos infinita ac sine numero ex-
tant, abundè compenset, ut à vitis possessioni-
bus, quàm diutissime ac felicissime perfrua-

re

re, cuiq; benè memoris ac tuo imperio obse-
quentissimi filii animum in ultima etiam,
sed viridi tamen senectute non sine voluptatis
suavisissimi sensu cognoscere possis. Valete
Generosi Domini, Patrone summe, Parens
perpetuò amande, ambo maximè suspicien-
di, Et quod agitis, id agite omne feliciter atq;
ex voto.

**Virtutibus summis ac Nobilissimo
Nomini vestro,**

GENEROSI DOMINI

Devotus perpetuò addictusq;

GÜNTHERUS à BÜNAU.

obse-
am,
tatis
lete
rens
sien-
r atq;
simo
MINI
ctusq;
N. AU.

RECTOR
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,

I. NICOLAUS POM-
PEIUS, MATHEMATVM
INFERIORUM PROFES-
SOR PUBLICUS,

CIVIBUS ACADEMICIS S. D.



Niversi juris positiones, ut
Ulpianus loquitur, duæ sunt;
privatum, & publicum.
Utrumq; cum dividatur va-
riè; tum duo quoq; summa
istius capita sunt: quorum
d pacem ac civilem statum alterum per-
tinet; bellorum negotia dirigit alterum &
moderatur. Quamvis enim opinati non-
nulli sint, aliud legum; armorum aliud
tempus esse: quod Cæsarem respondisse
Metello, Plutarchus tradit, nec ulla omni-
nò data armatis jura; ex quo & vulgò jacta-
ri solet, *silere inter armal ges*: multò se a-
lter tamen habere rem, divinæ haud tan-
tum,

B

tum,

tum literæ; sed gentium etiam consensus,
& quæ vocabant fecialia Romani jura, te-
stari possunt. Quæ bella æquè ac pacem
certis quibusdam legibus & ceremoniis
voluerunt devincta: quas qui migraret,
non puro pioq; duello, ut loquebantur, vi-
deretur decernere. Enimvero est homo
animal quidem, sed nobilissimum omni-
um, & capax rationis ad instar divinæ na-
turæ pariter, & ejus causâ creatus ac con-
ditus. Quapropter non impetu atq; libi-
dine, ut brutiæ bestię solent, rapi debet:
sed omnes actiones suas ratione, consilio,
religione dirigere & gubernare eum oportet:
ut tueatur naturam, inq; Deum, cui, ut
Principi Dominoq; reddenda de omnibus
ratio, nequid delinquat ac peccet. Jam si
inventa permittaq; bella ideo sunt, ut quod
negatur nobis jus consequamur, nã per-
verissima & absurdissima videbitur ratio,
ad jus, sine justitia ac jure grassari velle. Ad
bella autem induciæ etiam pertinent. Quas
scitè & perquam eleganter Varro *bellorum*
feri-

ferias appellavit. Quemadmodum enim per feriarum tempus festivitate solenni ac otio non plane finitur ac tollitur negotiorum forensium cursus; sed repetendus urgendusq; denuo interfunditur tantum: sic per induciarum pactiones manet quidem status belli; sed actus & exercitio ejus suspenditur illa quiete pactitia; & cessant arma, non deponuntur. Quod si civilibus feriis positæ suæ leges sunt; & definitum prudentibus, quomodo feriari ludoq; ac otio vacare oporteat; quanto magis bellorum hæ ferix ordinari certo jure ac componi oportuit, ut culpa & vitio careant, & pii justiq; fines ne transgrediantur? Intere ratq; plurimum publicè præclarum istum juris bellorum de induciis locum, cum ex usu & observatione gentium, quem in corrupta monimenta historiarum declarant; tum ex immotis divini juxta atq; humani fundamentis Juris, peculiari atq; legitimâ tractatione explicatum habere ac traditum. Nam quæ de illo argumento AL-

BERIGLIS GENTILIS, & HUGO GRO-
TIIUS, summo ingenio, summa juris scien-
tia, atq; in omni literarum genere versatif-
simi ac eruditissimi Viri, in iis libris, quos
de belli pacisq; jure condiderunt egregios,
differuere ac præceperunt; pauca ea sunt,
& brevibus lineis veluti, quæ signent magis
atq; adumbrent rem, quàm amplitudinem
ejus exprimant, & omnes hujus loci
controversias disertè decidant. Quippe
qui eum non tanquam opus proprium, &
totum aliquod; sed sicut partem tantum,
aut membrum in toto tractandum sumse-
rint. Animadvertit id persolenter Nobi-
lissimus ac litteratissimus Juvenis, GÜN-
THERUS à BÜNALI Eques Misnicus: &
quamvis intelligeret, se eruditione eâ at-
que judicio nondum esse instructum, ut,
si in hanc partem navaret operam, absolu-
tum quid atq; perfectum dare speraret;
non ideo tamen omninò ubi putavit ces-
sandum. Ratus ad nullos alios magis, quàm
sui loci homines, & qui in id nati quodam-
modo

modò sunt, ut pacis ac belli tempora re-
gant, publici juris pertinere cognitionem.
Sed de induciarum jure cùm meditari esset
ingressus domi; & nunc perspiceret, in u-
niversum eam tentare materiam, non dis-
sertationis brevioris cujusdam, sed prolixæ
& amplæ commentationis esse negotium;
decerpsit partem, & experturus ingenium,
quàm posset explicare verbis idoneè, quæ
digessisset apud animum, & mente memo-
riaque esset complexus, de ea quæstione
tantùm, QUI RECTE INDUCIAS FA-
CERE POSSINT, condendi & elaborandi
orationem impetum cepit. Nam quãvis in-
tellectu facile sit, hos omnes posse inducias
facere, quibus suscipiendi gerendiq; belli
facultas est: iisdem tamen non idem omni-
nò competit jus; sed aliis plus minusvé est;
idcirco sine discrimine facere omnes indu-
cias quasq; haud queunt. De quâ diversita-
te ut constet, cùm sit necesse; idcirco se o-
peræ facturum pretium existimavit BÜ-
NAVILLIS, si pro ingenii modo hanc expli-

B 3

care

care partem ingrederetur. Ac est profectò
in argumento eo non infeliciter ac imperi-
tè versatus. Quare cum eam orationem
finitis sacris pomeridianis, acceptâ a nobis
veniâ, in A croaterio maiore recitaturus pu-
blicè sit: vestrum erit, Comilitoni nobiliss-
simo prolixam benevolamq; operam dare.
Qui ita dicturus conscendet cathedram,
ut iuxta & rerum gravitate docere, & ele-
gantiâ dictionis ducere audientes ac dele-
ctare haud leviter posse videatur. PP. Do-
minica XX. post Trinitatis anno recupe-
rata gratiæ clò loc XLVI.



RECTOR MAGNIFICENTISSIME

Generosum Juvenem

GÜNTHERUM à BÜNAU
Equitem Milnicum

O prestans animi Juvenis, cui plurimus ardor
Musarum, & dignas tantis natalibus artes
Imbibere, exurit mentem penitusq; fatigat
Abripiens, quò magna virum vestigia ducunt,
Et gentis prælucet honor, quò sanguis avorum
Et tituli invitant non unâ laude potentes;
I, votis incumbere tuis! nec siste volantem
Strenuus invictusq; rotam, dum meta tenetur
Ultima, & ingentes serpunt in tempora laurus.

Nil vulgare petit, sed nec nisi maxima carpit
Nobilitas ausa egregiè: seu praelia turbet
Tristia, & indomitis latè omnia fulminet armis;
Sive togæ pia jura, & pacis præferat artes
Lenior, ac crudum belli averteret amorem.

Nunc sed enim, GÜNTHERE, sat est, si nostra Lycæa
Ingenii juvenile decus, laudesq; recensent;
Si patres pubesq; tuis applaudere dictis
Mirè ardent: crescente ævo & subeuntibus annis
Hæc aula domina proceres, hæc sancta probabit
Curia, quin rerum cupient audire potentes.

Augustus Buchnerus,

fecto
peri-
nem
nobis
spu-
bili
dare.
m,
ele-
dele-
Do-
upe-



RECTOR MAGNIFICE,

*Perillustris & Generose Comes,
Admodum Reverendi, Amplissimi, Con-
sultissimi, Experientissimi, Excellentissimi,
Clarissimiq; VIRI, Patres Academiae con-
scripti, & Tu residua concussa Patriae
Spes, Nobilissima atq; Ornatissima
Juventus.*

Cum universa exercitationum ge-
nera, in quibus operam non inuti-
liter ponimus, animo ac mente
circumspicio, penitusq; perscru-
tor, nullum mihi praestantius, nullum no-
bilius, nullum deniq; dignius videtur, in
quo omnes nervos adolescentis ævi indu-
strixq; nostræ contendamus, quam quod
in eam nos consuetudinem & assuefactio-
nem adducit, ut de rebus præclaris ornatè,
distinctè ac copiosè dicere condiscamus.
Nam cum duo sint, in quibus natura homi-
nis non tantum à reliquis animantibus dif-
fert, sed eadem excellit quoq; ac præstat,
RA.

RATIO, atque **ORATIO**, equidem nisi ut
traq; facultas meditando excolatur, & quan-
tum potest, perficiatur, discrimen illud, ac
præstantia, qua genus nostrum supra ani-
mantes mutas extollimus, tenue quiddam &
perexiguum esse existimabitur. Quocirca si-
cut homine ingenuo liberaliterq; nato atq;
educato minimè indignum fuerit, has inge-
nii exercitationes, hæc mentis & orationis
curricula studiosè ac diligenter lustrare: ita,
qui ad Rempublicam aspirant, huic generi
studere uni propemodum necesse putem.
Enimverò excogitare rationes præclaras, &
salutaria in publicum invenire consilia, ad
communis rei utilitatem non nego esse ali-
quid permagnum. At in eo tamen sita non
sunt omnia. Explicanda insuper, quæ acris
ingenii solertia repererit, efficaci & copiosa
oratione sunt, atq; aliis etiam, quæ pro salu-
te populi statuas, graviter persuadenda.
Quoniam enim multi sunt, qui per stupo-
rem crassitiemq; mentis, quid veri, quid fal-
si rationibus sublit, ægrè assequuntur, aut ita
depravati animi sunt, ut rerum momenta in
pectus

C

pectus

dia capeffendi. Atq; in bonam spem ingre-
dior, non futurum temerè, qui nobis vitio
vertat, quòd exercendi ingenii causa in hanc
sedem nunc fuerim ascendere ausus, de in-
duciis, quas Varro ingenii atq; doctrinæ fa-
cilè princeps, eleganter belli ferias appel-
lavit, non nihil verborum factururus. Etenim
si meæ aliquæ olim in Republica futuræ par-
tes, utile erit ac fructuosum, explicatam ha-
bere hanc quæstionem, quæ sui usum longè
latèq; diffundit & disseminat, & eruditissi-
morum quorumq; curas fatigat & industri-
am. ; sin id sperandum nobis haud est, pul-
chrum tamen erit, in re præclara experiri
ingenium voluisse. Quod dum facere insti-
tuo, id sum temperamenti potissimè secu-
turus, ut non, quicquid de universa induci-
arum natura dici potest & statu, huc afferam
(id enim omne explicare nimis longum fo-
ret) sed tantum, qui eas rectè pacisci ac face-
re possint, in præsentiarum pro virili anqui-
ram. Equidem ego didici me modulo meo
metiri, atq; animo meo etiam nunc multæ
& graves cogitationes occursant, quæ me-
met-

ingre- metipsum subinde, & tenuitatem hanc, ple-
s vitio no quasi speculo representant: quin profi-
n hanc teri adeo oportet, me parum admodum in-
de in- genio valere, exiguum & nullum prope-
næ fa- modum habere dicendi usum. Quæ me-
appel- res valde vereri cogit, ne audaciæ ac impu-
tenim dentia notam non effugiam, qui de gravissi-
æ par- ma re coram sapientissimis omnis scientiæ
am ha- & eruditionis consultis in hoc florentissi-
longè morum hominum coetu facere verba susti-
ditissi- neam. Sanè nisi plurimū confirmarer ea spe,
dustri- quā in humanitate vestra, auditores ornatif-
st, pul- limi, atq; æquanimitate positam singularē ha-
xperi- beo, caderēt cōsilia mei rationes omnes, neq;
re insti- omnino, quò me verterē aut quò confugerē,
è secu- statutum cum animo meo aut deliberatum
nduci- haberem. Nunc cum benevolentiam ve-
fferam stram hoc ipso in confesso tot tamq; præcla-
um fo- ris argumentis exhibueritis ante me aliis,
ac face- candidissimum mihi augurium videor pol-
anqui- liceri, certoq; confidere futurum, ut in præ-
lo meo senti quoq; conatum dicentis benevolē atq;
multæ benignè prosequamini. Nolite enim existi-
æ me- mare, me præcipiendi aut docendi (quod
met- C } neq;

neq; in ætatem meã, neq; captum ingenii atq;
doctrinæ modum cauit) has suscepisse par-
tes: sed quicquid hujus conor, id ad exercēdi
præparādiq; ingenii tantum rationē specta-
re cupio. Nam sicut egregius efficacissimusq;
rerum omnium magister habetur usus; ita
nisi maturè rebus præclaris assueveris, nihil
proclivius est, quàm in ipso, ut ajunt, limine
offendere, atq; inter susceptum onus suc-
cumbere ac labi. Quare vos, auditores
omnium ordinum optimi & honoratissimi,
perquàm reverenter, studiosè, atq; aman-
tissimè oro obtestorq;, libentibus animis ac
benevolè me audire dignemini, & studio ve-
stro atq; favore trepidantem animum erige-
re atq; confirmare haud tantum, sed dicta
quoq; benignè ac comiter interpretari. Neq;
enim ab adolescente exactissima quæq; af-
ferri possunt, & mihi ad laudem satis fuerit,
sive re gravi atq; difficili non ineptè nimis
atq; absurdè verba fecero. Principio igitur
extra controversiã positum arbitror, omnibus
iis, quibus suscipiēdi gerendiq; belli potestas
aliqua est, jus aliquod etiam paciscendi in-
ducias

ducias competere. Ex enim si continen-
tur in bello, quis tam absurdus & mentis in-
ops est, qui non intelligat, penes quem sum-
ma totius rei est, ad eum & constitutionem
partis non minus spectare? Nec dubitabit
bellorum partem esse inducias, nisi qui bel-
lum (quod actio hostilis est, ad propulsan-
dam vindicandamq; injuriam, à Magistratu,
vi armisq; contra hostes, vel retinendæ pacis
vel consequendæ causa, legitimè suscepta,
& administrata) non ex se & suis causis; sed
exercitio tantum & actu æstimaverit. Quã-
vis enim per induciarum tempus cesset ho-
stilitas, & ferientur arma quali; quies tamen
illa ac otium neq; pax appellari potest, neq;
medium quiddam inter pacem & bellum.
haberi debet. Quam sententiam & Tullium
fuisse reperio, illum non modò Romani elo-
loquij faciliè principem., sed & tractandæ
Reipublicæ imprimis peritum, quando in
Philippicarum orationum ea, qua belli tu-
multusq; discrimina eruditè excutit, inter
bellum, & pacem medium nihil esse diser-
tè affirmat. Scio equidem à nonnullis Var-
ro-

ronem nobis objici, qui inducias dixerit pa-
cem castrensem paucorum dierum. Sed
nos hac in causa potius à Gellio stamus, ma-
ximi iudicii viro, cui Varronis definitio le-
pida quidem & jucunda, non plena tamen
nec proba esse videtur. Ideoq; subjungit
statim: Nam neq; pax, inquit, induciæ sunt
(bellum enim manet, pugna cessat) Neq; in
solis castris, neq; paucorum tantum dierum
induciæ sunt. Quæ ab utilissimo Grammati-
corum rectissime definita esse existimo. Ne-
mo enim rerum civilium ita rudis ac hospes
habetur, quin probè noverit, per inducias
non de belli causa tractari aut transigi, non
ibi controversiam definiri, non de partium
jure quicquam statui. Sed omnis ista nego-
tatio illuc ut plurimum spectat, ut super di-
sceptatione armorum, aliquid tantum con-
veniat, & manente bello, bellicis interim a-
ctibus ad tempus utrinq; absteatur. In
illa civili flamma, quæ inter Cæsarem ac
Pompejum exarserat, cum hujus Legatus
Bibulus ad Oricum, ubi classem suam tene-
bat, in magna difficultate foret, summisq;
angu

angustiis rerum necessariorum premeretur;
simulat velle se de maximis rebus cum Cæ-
sare loqui, si sibi ejus facultas detur; Addit
rei confirmandæ causa nonnulla, ut de com-
positione acturus videretur. Interim po-
stulat, ut sint induciæ, idq; à Legatis Cæsari-
anis impetrat. Quis jam inde colliget, quia
quædam armorum quies in castris fuit, aut
pacem ipsam interim aut medium quid inter
pacem ac bellum viguisse, causa belli adhuc
integra ac illibata: aut quis non videt, ma-
nente causa, rem ipsam manere, quamvis in
præsens vim suam haud exerat?

*Ut, quamvis tacet, Hermogenes cantor tamen atq;
Optimus est modulator:*

Ita nihilominus bellum durare existiman-
dum est, licet per inducias, velut inter Eleu-
sinia sacra, ad tempus quoddam silentium a-
gat suum. Neq; verò ex sola pugna atq;
conflictu judicabimus bellum, aut si facim⁹,
dare & illud cogemur, quoties quiescit mi-
les, quoties à cæde & sanguine temperatur,
pacem esse & tranquillatas res omnes, quod

D

ne-

nemo, opinor, tam absurdus fuerit, ut dicat.
Sin verò rixandi libido animum cuiuspiam
versat, eum clarissimè convincet vel præ-
sens Reipublicæ nostræ status, qui, receptis
induciis, tantum abest, ut de controversia
composita gloriari habeat, ut, quem exitum
inventura res aliquando sit, providere ocu-
lis animi ne quidem perspicacissimus queat.
Sed apertius tamen planiusq; explicemus.
Duo sunt vitæ humanæ tempora: alterum
vigiliæ & negotii, alterum somni atque
quietis. Neutro posse carere homi-
nem, certum exploratumque est.
Quamquam in illo vim suam explicat magis
& conspicitur. Qua de causa & vetus au-
ctor vitam vigiliam appellavit. Atqui per-
imitur vita hominis ac tollitur, si perpetuo
labore exerceri contigerit, nec quiete ali-
qua refocilletur: frangitur etiam atq; cor-
rumpitur somno & otio, si modus non absit.
Contra ea si succedant per vices, & tempe-
rumentum utriusq; iustum fiat, non alio ser-
vari vitam magis ac contineri, quam vigiliæ
& somno, nemo dubitat. Considerate, quæ-
so, bellorum statum auditores, & diligenter
atten-

dicat.
spiam
l præ-
ceptis
verlia
xitum
re ocu-
queat.
temus.
erum.
atque
homi-
est.
magis
tus au-
ui per-
rpetuo
ete ali-
tq; cor-
on absit
tempe-
alio ser-
n vigilia
te, quæ
ligentel
atten-

attendite animum : reperietis similiter duo
ibidem tempora dari, quorum in contentio-
ne & pugna alterum, alterum in quiete atq;
cessatione positum est, inq; illo vigiliarum,
imaginem, hoc somni sitam... Ac naturali
quidem somno & subrepenti sponte per no-
ctem fesso corpori, illorum alsimilare armo-
rum licebit quietem, quæ post laborem pu-
gnæ & campi pulverem, capitur ultrò; illi
verò, qui medicamento & arte quadam con-
ciliatur, optimè conferentur induciæ: quod
hæc armorum quies conventis & pactis, hoc
est, negotiatione quadam ac quali arte com-
paratur. Quamvis igitur, qui consopitus
somno est, mortuo similis jaceat; vivit &
spirat nihilominus tamen; nondum extincta
vitæ causa, cuius somnus æquè pars, atque
vigilia est: ita quamvis, induciarum tempo-
re, ferientur arma & otium quoddam agant
quali, tamen quia sublata contentionis causa
non est, (quod pace fit; quæ sola belli finis
est, uti mors vitæ) manere bellum omninò
necesse est. Quod si igitur belli negotium,
& pars, non aliter atque vitæ humanæ so-



mnus, induciæ sunt : sequitur sanè induci-
as faciendi copiam omnibus datam, quibus
suscipiendi atq; gerendi belli potestas est.
Sed quia diversa belligerantium ratio est, &
ipsæ induciæ quoq; non nihil differunt; E-
quidem de utroq; nobis exponendum bre-
viter erit, priusquam explicemus, quas quis-
que illorum inducias facere queat. Cæterū
mihi rē cum cura perpendenti tria omnino
occurrunt genera eorū, quibus belli gerēdi
jus potissimè convenire videtur. Nam & qui
summā potestatem habent, & nulli mortali-
um subjecti agunt: & qui sub majore quidē
imperio, sed ipsi tamen cum imperio sunt in
suos summo: & qui non per se quidem ge-
rendi belli jus habent; ab illis tamen, qui ha-
bent, acceperunt, præfecti bello, vel uni-
verso, vel ejus parti: qui legati appellantur,
& suo ductu quidem, cæterū alienis au-
spiciis rem gerunt, his, inquam, his, si neces-
sitas cogat, suum sibi gerendi belli jus esse
puto ac potestatem. Qui omnes rursus mo-
dò pro se, modò pro aliis, aut pro communi
salute, vel socii ac fœderati, vel clientes pu-
gnant

summe

2 G

gnant

nduci- gnant, ex quo rursus alia differentia eorum
quibus nascitur, qui bella gerunt. Jam induciarum
tas est. genera ista sunt. Aliæ fiunt belli; alia verò
est, & pacis causa. Belli quidem aut ad sepelien-
unt; E- dos mortuos, qui oppetierunt; aut cum ob-
m bre- seisis spatium datur, de deditioe statuendi;
as quis- Item quæ colloquendi causa fiunt. Utriusq;
æterū generis multa exempla apud auctores ex-
mninò stant: Prioris Virgilius quoq; atq; Home rus
gerēdi nobis suppeditant. Etenim cum Latinos
& qui inter & Trojanos gravi prælio & magno u-
mortali- trinq; detrimento pugnatum esset, oratores
e quidē à Latinis missi, dierum duodecim inducias
sunt in impetrant, quo temporis spatio utriq; suo-
em ge- rum cadavera perquirunt, supremoq; sepul-
qui ha- turæ honore, qui universis debetur, prose-
vel uni- quuntur. Qua de re suavissimus Poëta
lantur, ita canit.

*Jamq; oratores aderant ex urbe Latina
Vel atiramis olea, veniamq; rogantes:
Corpora, per campos ferro quæ fusa jacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terræ:
Nullum cum victis certamen & æthere cassis:
Parceret hospitibus quondam socerisq; vocatis.
Quos bonus Æneas haud asperranda precantes.*

D 3

Prose-

Prosequitur venia:

Et post paullo:

*Bis senos pepigere dies, & pace sequestra,
Per silvas Teucris, mistiq; impune Latini.
Erravere jugis.*

Par ferè spatium Achillem Priamo concessisse humani Hectoris gratia apud Homerum in Iliade reperias: Sed istæ induciæ non tantùm brevissimæ, (ne vitietur atq; corrumpatur status belli, cuius causa conceduntur) nec nisi ad aliquot dies tantùm, immò & horas aliquando, verùm marcidissimæ quoq; dari solent; cum extra castra & milites non extendantur. Earumq; respectu Varro inducias *pacem castrensem, paucorum dierum* definivit; unum tantùm induciarum genus complexus, quæ belli causa fiunt, omisso altero, quod pacis tentandæ gratia iniri consuevit. Nec aliud Jurisconsultus voluit, cum pacta induciarum ad breve & præsens tempus tantùm restringeret. At pacis causa quæ fiunt induciæ, non tam in dies paucos, quàm plures, quin aliquando & ipsos annos, iniri solent: neq; ut miles iis & castra tantùm; sed cives etiam atq; provinciæ contineantur. Dant se haud rarò graves

ves

questra,
Latini.

nces.

ome-

æ non

e cor-

once-

n, im-

simæ

mil-

pectu

orum

arum

ant, o-

ratia,

us vo-

xpræ-

At pa-

in di-

ndo &

s iis &

ovin-

ô gra-

ves

ves bellorum ac numerosæ causæ; in qui-
bus disceptandis & componendis multo la-
bore, multâ industriâ ac tempore opus est.
Neq; enim primo aut altero etiam congres-
su, statim conciliari & tranquillari idonei
sunt offensi atq; infesti sibi invicem animi: &
ut ægroti jacentesq; tergiversantur ferme,
& in sumendis medicinis, quas averfantur,
nectunt moras; ita difficiles quoq; ad com-
positionem omnem se præbent partes, quas
ira & odium in certamina egit. Adeo,
ut nisi interveniat cessatio ab armis, timen-
dum sit, ut unquam coalescant deniq; & in
pacem consentiant. Ea enim armorum con-
ditio est, ut hæc qui tractet, vel vincatur vel
vincat. Victor lætus feroxq; successibus
fortunæ suæ invigilandum statuet: & alter
amens dolore, non tam subducere sese cali-
bus volet, quam inimicum quæret ulcisci.
Quod dum fit, tantò magis impediatur pacis
negotiatio, quantò pars altera iniquior fer-
mè in ferendis conditionibus; altera in ac-
cipiendis iisdem difficilior erit. Cui malo,
ut efficacissimum remedium ab induciis pa-
rari

253



rari potest; ita has longiores productioresq;
dari oportet, ut de convenienda pace nego-
tiatio exitum habeat: nec, qui ex ea spera-
bantur fructus, malè intercidant. Enimve-
ro factis induciis & cessante hostilitate libe-
riores literæ, solutiores sermones, familia-
riores tractatus, amiciores complexus in-
tercedunt: quæ leniunt iras, atque extin-
guunt odia, & obliteratâ acerbitate quibus-
dam stimulis atq; illecebris mentes ad con-
cordiam & pacem invitant abundè ac tra-
hunt. Quemadmodum enim, qui de Clito-
rio fonte biberunt, mox vini tædium capi-
unt: ita qui semel dulcedine induciarum
imbuerint animos, & suavitates sequestræ
pacis gustare ceperint, iis subit post paullo
satietas belli, amorque quietis & otij præ-
ærumnolis armorum negotiis obrepit. Fi-
unt & aliquando induciæ, cùm eos, quos vi-
cimus, indignos pace & amicitia nostra sta-
tuimus. Quam ob causam Epaminondam
cum Alexandro Pheræo teterrimo Tyranno
pacem noluisse facere legimus, pactum
tamen inducias. Solent autem hæ longio-
res

ioresq; res sermè dari, ne nobis ipsis faceffamus ne-
gotium in talibus, & necessitatem quandam
imponamus, parandi adversus illos citius
haud tantùm; sed & suscipiendi belli, quod
alienissimo nostro tempore fieri possit. Ex-
emplo Romulus est, quem in centum annos
Veientibus dedisse inducias, Livius prodi-
dit. Sed centum annorum quies, ecquid à
pace magnoperè differat? Noluit tamen pa-
cem dare Romulus, quod perfidos homines
amicitia ac fœdere putaret indignos; tum
quod existimaret induciarum pacta sacrati-
ora gentibus, & minus violabilia, quàm pa-
cem ipsam haberi solita. Sed de induciis
satis diximus: redeundum eò nunc tandem
est, undè sumus digressi: & exponendum,
quas quisq; illorum, qui præfunt bellis, face-
re possit. Ac summam quidem potestatem,
quæ supra se habent neminem, quolibet ge-
nere induciarum pacisci cum hostibus pos-
se, clarum per se, nec ulla probatione indi-
get. Minoribus quoq; id adimendum non
est, qui sub majore quidem imperio politi,
suscipiendi tamen gerendiq; bellis habet.

E

Quod



Quod tamen tum obtinere existimandum
in primis, cum proprias causas disceptant
armis, & sibi unis bellum gerunt Nam quisq;
de rebus suis statuendi & consulendi ad ea-
rum summam arbitrium liberum habet. Sed
cum multorum agitur res, & sociale bellum
incidit, aut pro superioris maiestate tenen-
tur arma, vel foederati militamus, nec pene
nos solos administrandi belli iuxta & facien-
dæ pacis, ut ut nostris auspiciis geramus
rem, potestas est sita, sine exceptione induci-
as quaslibet, pro sese quisq; facere haud po-
test. Sed pactiones induciarum, quæ bel-
li causa instituuntur, quasq; ad breve ad mo-
dum dari tempus supra monuimus, ad eò ne-
mini illorum, qui suis auspiciis gerunt rem
non licitas esse existimandum est, ut ex lega-
tis etiam, hoc est, qui tantum ducatum præ-
bent, & aliunde accepto imperio præsun-
copiis, nisi disertè quid cautum contra ab il-
lis, unde sumunt auspiciis, competant. Nam
& Achillem Priamo Trojanorum Regi, in
dies duodecim ad auferendum & sepelien-
dum Hectorem occisum ab se, dedisse indu-

cia

andum
ceptant
n quisq
i ad ea
bet. Sed
bellum
e tenen
ec pene
facien
eramur
induci
aud po
væ bel
admo
adeone
nt rem
æ lega
im præ
præfun
tra ab il
nt. Nan
egi, in
epelien
sse indu
cia

cias, inconsulto Agamemnone Rege, qui
sumnam belli administrabat, cuius ipse par-
te tantumungebatur, apud Homerum legi-
mus. Et exstant passim hujus generis apud
rerum gestarum scriptores plura alia, quæ in
præsenti adducere supersedeo exempla.
Nec deest ratio, cur fiat. Nam quia induciæ i-
stæ ad belli gerendi rationem pertinent; id-
circo creditur istis hæc data potestas facien-
di inducias hujus generis (nisi quid exce-
ptum claris verbis fuerit) simul commissa Le-
gatis belli gerendi cura est. Ac illis igitur,
cum administrandi gerendiq; belli tantum,
non autem & finiendi & constituendæ pa-
cis potestas dari consuevit; patere hinc po-
test vel sponte suâ, non alio genere inducia-
rum, quàm isto, quod belli causa, & ad bre-
vissimum tempus fit, Legatos seu Duces pa-
cisci cum hostibus posse. Sed contra hæc di-
cat aliquis; atqui Trebonius Legatus Cæ-
saris, Masiliensibus, quos obsidebat, quosq;
jam ad extremum redegerat tempus, mise-
ricordia ductus, deduxit de opere milites,
oppugnatione destitit, induciasq; in Cæsaris

usq; adventum, injussu Cæsaris dedit. In
quo cum violarit statum belli, & ante eum
habuerit civitatis salutem; atq; id egerit
adeo, ut conservarentur Massilienses; Sanè
ad pacem magis, quàm ad bellum respexisse
eas inducias, videri queat; licebit existima-
re, & isto induciarum genere, quod ad pa-
cem atq; concordiam spectat, Legatos bel-
lorum posse cum hostibus agere. Verum
enimverò, hoc exemplum, si rectè cum ani-
mo tuo cogites, nihil admodum pro Legatis
facit; & asserenda iis aliqua potestate facien-
di inducias alias, præterquam quæ solius
belli causa, eaq; quàm brevissimæ fiunt.
Neq; enim pacis & finiendi belli hic ageba-
tur negotium; sed tantum, ut expectaretur
adventus Cæsaris, eiq; libera de Massilien-
bus statuendi potestas reservaretur: ei enim
se dedituros promiserant. Neque verò à
Trebonio stetit existimandum est, quod
per inducias eas status belli corruptus non
nihil fuit, sed id perfidiæ Massiliensium im-
putandum est. Præsumitur enim tam diu
quis bonus, donec agendo contra, se proba-
verit

In. verit malum. Nec ex eventu judicandum
eum. de rebus est: & malè plerumq; mortales e-
egerit ventis consilia ponderant, & cui processerit
Sanè aliquid benè, hunc multum providisse; cui
exisse secus, nihil admodùm sensisse dicunt, Sed
stima- diffitendum haud est, peccaturum fuisse.
ad pa- Trebonium hoc misericordiæ atq; humani-
os bel- tis genere; si constitisset ipsi, omninò velle
erum Cæsarem, cujus erat Legatus, potiri urbe,
m ani- quacūq; ratione id possit effici. Nunc ei cum
egatis contra mandasset Cæsar magnoperè, ne per
facien- vim oppidum expugnari pateretur, omni-
solius nò id fecit, quod sui officii erat. Nam nisi
fiunt. fecisset inducias, mandata Imperatoris sui
ageba- custodire haud potuisset. Qui & tum egrè
aretur militem tenere potuit, quin irrumperet op-
ilienti- pidum, & puberes annos, contra quàm
ienim mandaverat Cæsar, cæterum minabatur
verò à miles, interficeret, aliaq; dura & violenta in
quod Cives statueret. Quare qui suis auspiciis haud
is non- gerunt rem, & quibus ducendi tantùm belli
m im- potestas legata commissaq; est, non possunt
amdiu alterius generis inducias facere, quàm
proba- quæ ad bellum, propriè pertinent, &
verit E 3 ejus

ejus statum conservare possunt; nisi quid aliud ab Imperatore mandatum fuerit; aut pro perspecta voluntate ejus mandaturum fuisse persuasum habeant. Non quidem disertis verbis Cæsar præceperat Trebonio inducias facere; sed quia mandarat, ne pateretur vi expugnari Massiliensium oppidum, idque non nisi per inducias fieri poterat, sane inducias ipsas mandasse videbatur. Sed primi generis inducias fœderatos & socios pro suo arbitrio facere posse expeditum est: utrum autem & eas, quæ pacis tentandæ causa, & non tam breves arctæque, sed longiores patentisque; latius, idæque in aperto haud est. Difficultatis ratio in eo consistit, quod uno fœderato & socio faciente inducias, ceteri deseruntur quasi; certè majori exponuntur discrimini; dum copiam hostis nanciscitur omnes in eos convertendi vires. Cùm contra in eum finem jungantur arma ac ineantur fœdera, ut alter alteri adsit auxilio, neque discrimen tantum ab se, verum & socio depellat quoque, & ita communes casus, communem fortunam experiantur omnes. Quæ res cum bonæ fidei & justî contra-

tra-

tractus vim complectatur, legibus quoque
consentaneum sit, ut, quod probaveris se-
mel, rescindi haud possit; contra quid face-
re minimè licebit. Eamq; ob causam apud
veteres tanta formularum sanctitate, & ju-
ris jurandi religione, sancita invicem & con-
cepta foedera legimus, ut sincerè ac sine do-
lo utrinque observarentur. In quo non-
nullos eò constat progressos, ut, libato poto-
que sanguine, sibi mutuò obstrinxerint fi-
dem, quod tamen barbaras gentes magis,
quàm qui humanitate exculti, decere potest.
Quare qui in quæstionem reducunt, quæ
pactionibus jam terminata erant, quiq; per
quietis impatientiam finem jurgii secunda-
lite commutant, parùm abest, quin apertæ
improbitalis nomen auferant. Scipionem
junioem memoriæ proditum est, cum
Carthaginenses missis legatis pacem his
conditionibus composuissent, ut se belluas,
naves, pecuniamq; daturus promitterent:
iisdem verò Annibale ex Italia advecto, re-
sumtis animis pactorum ducerentur pœni-
tentia, datam fidem jam jam violaturi, in-

eos

quid a-
it; aut
urum
uidem
Tre-
rat, ne
oppi-
terat,
r. Sed
focios
m est:
tandæ
longi-
haud
quod
as, cæ-
expo-
is nan-
vires.
ma ac
xilio,
& so-
es ca-
ntur o-
ti con-
tra-

eos acerrimè inuictum accepimus, imperata
quadringentorum talentorum multa
quod Annibalem accivissent. Sane gravius
supplicium commervisse putem, qui etiam
si Deos fidei mutuae testes ac vindices adhi-
buerint, per summum nefas tamen recede-
re à fœderum religione non fuerint veriti.
In quos fortassis haud ineptè dixeris, quod
in opulentos homines Comicus:

At scio, quo vos pacto soleatis perplexari

Pactum non pactum est, non pactum pactum est.

Et si quis omnem antiquitatis ac bellorum
memoriam ab ultimo principio repeter-
velit, satis superq; reperiet eorum, qui ju-
ramenta, qui pacta, qui inducias violarunt
miserimos exitus, & civitatibus ac popu-
lis calamitosissimos exstitisse. Propria Ro-
manorum clementia fuit: qui tamen vio-
latores pactorum & perfidos homines a-
cerrimè uli sunt. Nam eam ob causam
Metium, Albanorum Dictatorem, quadri-
gis lacerarunt distractum; Albam everte-
runt funditus, Veientes à stirpe cum oppi-
dis omnibus deleverunt, Carthaginem æ-
mulam

mulam per quatuordecim dies assumerunt
incendio; Campanos autem in modum mi-
serrimum aut sustulerunt cæsos, aut longè
durissimæ servituti addixerunt. Et quam
indignè justissimus rerum arbiter DEUS
hoc genus impietatis ferat, cum sæpè aliàs,
tùm verò maximè commemorandis exem-
plis ostendit in illa Christianis luctuosissima
clade Varnensi, ante bis centum quasi annos.
Acceperant ab Amurathe Turcici Imperii
Tyranno oblatas inducias Ungari, præstito
utrinq; juramento. Sed postea factum Euge-
nii Pontificis & Cardinalis Juliani perfidia est,
ut, quod, imprudente Romano præfule, cū
capitali Christiani nominis hoste percussū
fœlus esset, infirmum, cassum, irritumq;
crederetur. Quare, cum Patribus Roma-
nis victoria quoquo modo persequenda vi-
deretur, perduci in prælium sese patitur il-
le Vladislai regius sanguis, & Hercum maxi-
mus Johannes Hunniades, cum non adeo
magna manu. Pugnatur ardore incredibi-
li. Vincunt initio nostri, sed ecce iratis fa-
tis, mox ad hostes concedit victoria. Rex

F

Vla-

Vladislaus ipse, dum fortiter rem gerit, ex
equo dejectus, interit & obtruncatur caput.
Evadit inter mille mortis discrimina Hun-
niades. Julianus acie elapsus, effugere ta-
men non potuit, quin impia ejus anima Un-
garorum latronum ensibus hauriretur, ca-
davere feris ac volucris dimisso. Et
quamquam rex Turcarum acie longe plures
desiderati sunt; tamen, pro numero copia-
rum, Christianis illatum damnum majus
est. Tam reverenter haberi divinum Nu-
men postulat, quod juramenti religione fir-
maveris, ut, si pacto responderis minus, ne
ipsa quidem religio facinus tueri possit tu-
um. Ex quibus jam opinor, perspicuum
est, nullum induciis locum esse, si in foederis
tabulis expressè de non ineundis illis, in vi-
tis sociis, cautum fuerit. Est enim religio
foederum sanctissima; atq; ideò vel danda
non est fides, vel data semel conservanda
tuendaq; constanter. Neque sanò refert,
quàm id expediat, noceat vè; id enim tum
cavendum fuit, cum adhuc integra res esset:
nunc cum præterierit illud tempus, nec cō-

ful-

rit, ex
caput,
a Hun-
ere ta-
na Un-
ur, ca-
o. Et
plures
copia-
r majus
m. Nu-
one fir-
us, ne
isit tu-
cum,
foederis
s, in vi-
religio
danda
rvanda
refert,
n tum
s esset.
nec co-
sul-

Sultandi amplius facultas detur, s̄era omnis
pœnitentia est. Quod si induciarum in le-
gibus fœderis nulla facta mentio est, atque
id tantum cautum fuit, ne ulla cum hosti-
bus in eatur pax, nisi de communi fœdera-
torum voluntate; sanè pro se quemq; soci-
orum inducias aliquando jure facere posse,
non vanè affirmaturus videar. Neq; enim
contravenitur fœderi: nam aliud pax, aliud
induciæ sunt. Quæ cum non finiant bel-
lum, sed suspendant tantùm, manente inte-
rim belli causa, super qua in initum fœdus atq;
societas est, sanè per eas nihilominus, quàm
ante, salva, illæ saq; stat fides. Eam enim
hic frangit demum ac violat, qui ita deponit
arma, ut nullam ad ea revertendi spem, fa-
cta pace pro se, sociis relinquat. Nec refert
facientem inducias inæquali, quod vocant,
fœdere socio connexum. Neq; enim hæc
ratio statum mutat, & liberum de rebus
suis statuendi arbitrium socio adimit; sed
tantùm necessitatem imponit reverenter
habendi eum, cujus superior in fœdere res
est. Quæ tamen eò accipienda non sunt, ut

semper & sine exceptione ulla, foederatos &
socios pro se inducias rectè facere posse sta-
tuam. Nam qui emolumentum & commodum
causa, & suas ut res uberiores melioresq; ef-
ficiant, sociorum contra deteriores eva-
dant, inducias paciscuntur, probandi non
sunt. Nam foederi fideiq; quam dederunt,
manifestè videntur illudere. Sin verò ali-
quis experiundo pro sociis omnia, commu-
niq; re, non tantùm nihil ad summam pro-
ficere potuit; sed evertit se ipsum etiam pe-
nitus, & in ultimos deductus casus, nec in
seipso quicquàm opis amplius, & parum in
sociis quoq; præsidii certi atq; auxilii pos-
tum habet; tùm sane rectè & sine vitio indu-
cias facere posse, quibus se fervet, & ulti-
mùm quod videbatur instare, deprecetur rep-
atq; declinet, nihil propemodum dubitave-
rim. Nec longè arcepsi ejus rei rationes de-
bent; in promptu sunt. Etenim si verè Se-
neca scripsit, necessitate legem omnem fran-
gi, & quicquid coegerit, eadem defendi: &
si bella ipsa, quod Beatus Augustinus, eximi-
us pater, dicebat, sola excusat necessitas

quod quis est, qui non videat, induciarum huius
generis, de quo hactenus exposuimus, ma-
gnum indidem patrocinium posse expecta-
ri? Est n. tanta necessitatis vis, ut cum inevi-
tabilis venerit, jus det, ubi aliàs juris nihil e-
rat. Ad hæc ipsa quoq; natura nos quadam
instita vi ducit, quæ animantibus quoq; si-
mul ceperant originem, præcipuum hunc
ad vitam tuendam impetum dedit; suæq;
salutis infixit studium. Cumq; is amor de-
mum procedere ordine, & sanus maximè
videatur, qui à se ipso incipiat; furor videri
ac rabies possit, si quis id præcipitii ultrò ad-
eat, ubi & periturus ipse certissimè sit, nec
alterum tamen servandi ullam facultatem
habeat. Quid, quod in eum sensum trahun-
tur leges, quatenus aliquid fieri potest? Unde
illa pervulgata juris civilis regula est: *Impos-
sibile nulla obligatio est*, hoc est, nemo obli-
gatur ulterius, quàm quod potest præstare.
Jam quanti faciendum putabimus, quod di-
vina oracula & Salvatoris communis lex,
proximum nostrum juxta nos, non ante nos,
aut etiam magis, quàm nosmet ipsos, com-
plecti

plecti atq; respicere jubet? Hæc cum ita se
habeant, itaq; pro nostra opinione, non tan-
tum commune jus, sed & naturæ divinum-
que, quibus nullum sanctius est, faciat, non
adimenda fœderatis videbitur inducias pa-
ciscendi potestas, si & necessitas ultima ur-
geat; nec fœderis quoq; impedierit forma.
Quamquam extra necessitatem ultimam id
facere possit, cum spes apparet, amicis con-
ditionibus componi posse negotium, cujus
causa correpta arma, societasq; ac fœdus
inita fuerint, si id nec incisiis, nec planè invi-
tis lociis fiat. Documento nobis Mauritius
Electo fortissimus juxta & sapientissimus
erit. Qui nihil dubitavit, Imperatori Cæ-
sari pacis causa dare inducias, sed fœdera-
tum Galliarum Regem de iis ante, prout
in fœdere convenerat, cum admonuisset.
Nec improbare potuit Rex, nec quid de iis
conqueri, nisi in suspicionem venire vellet,
se alium belli finem respicere, quam qui in
fœdere descriptus esset. Nec de Clientibus
in summa & ultima necessitate positis aliud,
quam de confœderatis, uti ostendimus, sta-
tu-

ita se
non tan
vinum
at, non
cias pa
ima ur
forma
mam id
cis con
n, cujus
c foedus
ne invi
auritius
issimus
ori Cæ
cedera
prout
nuisset
d de iis
vellet
qui in
entibus
s aliud
us, sta
tu.

tuendum videtur. Quippe qui & ipsi in fi
de tantum patronorum, non ditione sunt;
& quamvis auctoritate, dignitate, ac jure
impares sint; libertatem tamen atque impe
rium eam ob causam non amittunt. Nec
eo usque reverentia & fides, quam debent pa
tronis, extendi potest: ut habeant necesse,
se atque fortunas suas in ultimos casus conji
cere & rerum omnium jacere aleam, sed ea
præstitisse satis est, in quæ per patrocini
formulam obligantur, quæ certum modum
& rationem iis præscribit. Ulterius cogi
non possunt, nisi de clientibus patronus, per
vim, servos atque mancipia facere velit. Idem
vasallis quoque, quos vocant, videtur compe
tere jus; qui prædiatoria quædam obligatio
ne cum teneantur, ab ea illos eximere se, si
absque fraude id faciant, invito etiam Domi
no, posse, prudentes Juris tradiderunt. Alia
quippe eorum, quam subditorum conditio
est, qui nexu ac obedientia, quam principi
debent, solvi, nisi a principe ipso haud pos
sunt. Hæc sunt, quæ in præsentibus de illis,
quos

AK

7c

4512

quos facere posse inducias verosimile vide-
batur, differere nobis facultas fuit. In qui-
bus si hallucinari nobis aliquando atq; er-
rare contigerit, (& contigit proculdubio,)
dabitis veniam, qui & homines sumus, &
juvenes quoq;. Nam nemo homo ab er-
rore unquam semper immunis fuit. Juve-
nes autem eo facilius errant, quò minus pol-
lent judicio; nec tanta scientiæ copia in-
structi sunt, quanta in majorem ætatem ca-
dere potest. **DEI** ter optimum Maxi-
mum, in cujus manu bellum & pax, in cu-
jus manu regum ac populorum corda, con-
siliaq; ac eventus sunt, ex intimo affectu
veneramur supplices, & obsecramus, ut
inducias inter **SERENISSIMUM ELECTOREM &**
SVECIAE REGINAM, secundis auspiciis factas,
patriæ cedere quam felicissimè cupiat, &
quoddam instar Luciferi habere sinat. Qui
sicut ex ortu suo venturam diem prænun-
ciat, ita & illæ mox secuturam, plenam, so-
lidamq;ve, atq; ex omni parte felicem
pacem ominentur.

D I X I.

e vide
In qui
tq; er
ubio,
nus, &
ab er
Juve
us pol
pia in
em ca
Maxi
incu
da, con
affectu
nus, ut
OREM &
factas,
piat, &
at. Qui
rænun
nam, so
icem

ULB Halle 3
004 807 626






h. 34^a, 2^r

V c
4512



O

INAU

SSINT

I O

ergæ

recuperata

ad. Typogr.

8/18
7/18
150/6
79/6

12/19
13/19

